

bimus quid portae sint. Iam advertite, fratres, quomodo porta per quam egressus est Dominus semper fuerit clausa. Sic dicit propheta: *Converti me*, inquit, *ad viam portae sanctuarii exteriorem, quae respicit ad orientem, et haec erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israhel egressus est per *eam, ideo erit clausa semper.*¹ Ecce, fratres, ubi evidenter ostenditur, quia sancta Maria semper virgo fuerit et virgo permanserit, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Concepit et virgo est, generat et virgo est, lactat et virgo est. Maria mater esse potuit, mulier esse non potuit. Intumescunt ubera virginis, et intacta manent genitalia matris. Utique corrumpi non potuit quae integratatem genuit. Magnum meritum, fratres, magnum donum, magna gratia. Creatura peperit cratorem, ancilla peperit Dominum, filia peperit patrem, filia divinitatis, mater humanitatis, quia Dominus noster Iesus Cristus duas habuit nativitates, ambas quidem mirabiles: unam de Patris aequalitate, alteram de matris infirmitate, natus de Patre sine tempore, de matre sine semine, quia *verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*²

ANONYMUS³

SERMO DE QUADRAGESIMA

1453 [...] Famis enim amica virginitatis est, inimica lasciviae; saturitas vero castitatem perdit nutrix inlecebram. Igitur, sicut dixi, hoc agit Dominus ut his praeiudiciis quibus homo obnoxius peccati fuerat liberetur. Propterea namque per omnia secundum similitudinem Adae omnia hominis peccata dissolverit. Adam enim de terra virgine natus est et Christus de Maria virgine procreatus. Illius maternum solum rostris neandum scissum fuerat, istius maternum secretum numquam concupiscentia violatum. *Adam Dei manibus plasmatus est de limo;*⁴ Christus Dei spiritu formatus in utero. Uterque ergo oritur Patre, uterque virgine utitur matre, uterque, sicut evangelista dicit, *filius Dei est,*⁵ sed Adam creatura Dei est, Dei filius Christus vera substantia.

PLS
IV, 952

¹ Ezech. XLIV, 1-2.

² Io. I, 14.

³ Tempore Patrum (cf. PLS IV, 950).

⁴ Gen. II, 7.

⁵ Lc. III, 38.